





Xa  
3142

5  
Quo multum iste opus regni mortali? Quid  
in hinc sicut apud eam quae ceteris  
etiam Christianissimis compunctum  
est. Quod ergo? Non audire? At illa audirem  
non possemus. Non potest enim ceteris  
hinc sicut apud eam quae ceteris  
etiam Christianissimis compunctum  
est.

REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
**DOMINO**  
**CHRISTIANO,**  
**Duci Saxoniæ,**

Juliae, Cliviæ & Montium, Angriæ & Westphaliæ, Postula-  
to Administratori Episcopatus Martisburgensis, Land-  
gravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, & Lusatiaæ  
Utriusq; Comiti Principali Dignitate Henne-  
bergico, Comiti Marcæ & Ravensbergæ,  
Domino in Ravenstein,

**Domino ac Cancellario**

suo Clementissimo,

HONOREM POST FATA DEBITUM,


ACADEMIA LIPSIENSIS

**ORATIONE PARENTALI,**

Die XIV. Maji, Anno CHR. MDCXCII.

humillime exhibebit.

195.





Tsi Gallorum gens Regi suo titulum pulcherrimum CHRISTIANISSIMI tribuit, eaque velut insignita nota, ab omnibus aliis Regibus & Principibus Christianis distingvit, id tamen nomen, consuetudine aliqua magis valere, quam aut origine, aut meritis, aut consensu aliorum nisi, viri Sapientes a certa rerum gestarum notitia sciunt arbitrari. Henricus Bebelius, natione Sveus, Vir doctissimus, ac Imperatoriae Majestatis, adversus exterorum obtrectationes vindex strenuus, exordio superioris Iæculi in scriptis suis Maximilianum Regem Romanorum appellataverat Christianissimum. Erant, qui minus recte factum existimarent, quod eum titulum, jure quodam hæreditario, peculiariter convenire Regibus Francorum dicerent, ut citra eorum injuriam nemo alias Rex sibi vendicare posset. At ille scripta Apologia anno Domini M. D. VIII, quam nobilissimi duo Jureconsulti & Historici, Simon Schardius Tomo I. Scriptorum Germanorum fol. 254. & Melchior Goldastus in Politicis Imperialibus Parte XI. num. II. fol. 594. posteritati legendam exhibuerunt, se partim exemplis, partim rationibus erudite cuetur. Præivisse sibi ait S. Ambrosium & alios, qui Imperatores Christianissimos scribunt, & Romanam Ecclesiam, quæ in die Parasceves pro Cæsare orans dicit: pro Christianissimo Imperatore Romano: ita enim habere libros sacros tam recentes, quam vetustos. Quibus luculentis documentis, qui alia adjicere velit, in monumentis antiquitatis inveniet. In Actis Concilii Chalcedonensis epistola est, cuius titulus: Ἰσον σάντας Αποστολείσης τῷδε τὸ δύτερε βετάτῳ, καὶ Φιλοχρήστῳ βασιλέως Μαρκιανῷ. Interpres Latinus: Exemplum Sacræ Missæ a Piissimo & Christianissimo Imperatore Marciano. Et iterum: ΙΣΟΝ ΒΑΣΙΛΙΚΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΟΣ ἐπισαλέντος τῷ δύτερε βετάτῳ καὶ Φιλοχρήστῳ βασιλίδος Πλαχερίᾳ. Interpres Latinus: Exemplum Sacrarum literarum, quæ a Piissima & Christianissima Augusta Pulcheria missæ sunt. Quæ ita habentur, non solum in Conciliis a Severino Binio collectis, & Coloniæ Agrippinæ impressis Tom. 2. Part. 1. fol. 19. & 20. sed & in iis, quæ juxta Regiam Parisinam impressionem Philippus Labbeus & Gabriel Cossartus Jesuitæ ediderunt Tom. IV. fol. 66. & 70. Bonifacius Papa Honorium Augustum, ad quem scripsit C. Ecclesiæ meæ, Dist. XCVII. ter Christianissimi elogio ornat: apud aures Christianissimi Principis. Et iterum: Ista Ecclesia devotionem tuam, Christianissime Imperator, meo quidem sermone, sed suo venerabili appellat affectu. Et tandem: Angeretur pluribus, Princeps Christianissime, mater Ecclesia, nisi apud te suarum esset cura causarum. Joannes Archiepiscopus & Patriarcha Urbis Romæ Justinianum Augustum eodem encomio appellat in Epistola, quæ in Codice Justinianeo de Summa Trinitate exstat, incipitque his verbis: Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat. Deinde rationibus tribus Bebelius causam Imperatoris agit; unam petit a dignitate, alteram a meritis Imperatorum, tertiam ab indignitate Regum Galliæ. Dignitatem Imperatoriam summam prædicat, qua antecellat omnibus Regibus, atque Ecclesiæ Christianæ advocatus sit: quod officium cum in primis ad Christi laudem & gloriam spectet, jure proprio titulum Christianissimi ei deberi. Merita expendit Regis Romanorum, tum conjuncto adhuc regno Franciæ Occidentalis cum Orientali Imperioq; Germanico, tum post utrumque regnum divisum. Priori ætate Pipinum dicit, Germanum & Francum Orientalem, primum accepisse istum titulum ab Urbano Secundo, ob egregiam virtutem, & insignem amorem, quo Christi Ecclesiam fuerit prosecutus. Carolum M. illius filium, in quo & successoribus continuatus sit titulus, quod Germanus & Francus Orientalis fuerit, consensu Romanæ plebis atque approbatione Romanæ Ecclesiæ acceptum imperium ac nomen ad Germanos transtulisse.

Con-

Confirmat hoc sepulchrali inscriptione ista: Caroli Magni Christianissimi Imperatoris Romanorum corpus sub hoc sepulchro conditum est. In qua animadvertisit, non fuisse appellatum Christianissimum Regem Francigenarum, sive Francorum occidentalium, quos hodie Gallos vocamus. Posteriori ætate cum Francia Occidentalis avulsa esset ab Imperio Germanico, comparando gesta Germanorum Principum atq; Imperatorum, cum Gallis cunctisq; Europæis Regibus, Germanorum Imperatorum diligentiam & reverentiam longe præfert, qua divinum cultum promoverint ac ornaverint. In quibus, ut nunc prætereamus, quæ sæculorum illorum genium sapiunt, opinamur a Gvinciardino quoque & aliis quibusdam confidentius quam certius perhiberi, Pipino nomen Christianissimi Pontificem dedisse. Ipsi Gallici scriptores plerique non audent indubitatem originem profiteri, nec Bullam aliquam Pontificis allegare, inter se insuper sententiis admodum discrepantes. Quod si vero Galli putent sibi sufficere, ad nos usque singulariter Reges Francorum ita honestatos esse, Bebelius noster respondet, solam illam esse consuetudinem, quæ in stirpe Carolina inolevit, & quandam incuriam Imperatorum, qui, quod suum erat, sibi vindicare non studuerint. Certe ea consuetudo, aut tam antiqua non est, quam traditur, aut non solis Galliæ Regibus convenit. Etenim in Prologo ad Expeditionem Asiaticam Friderici Primi ab Anonymo scriptam extat: Christianissimus & Invictissimus Romanorum Imperator Fridericus, apud Henricum Canisium Antiquarum Lectionum Tomo V. parte 2. pag. 44. Denique Tertio Bebelius Gallis revocat in memoriam conjugia Regum duorum, Caroli Strumosi & Ludovici XII. quibus non parum Christianissimi nomen obtenebrarunt, eoque se indignos effecerunt. Nam Carolus VIII. uxorem suam Margaretham, Maximiliani Primi filiam, postquam multos annos Galliæ Regina ea fuisset, (quod fide Philippi Cominæ Historici Galli referimus) repudiavit, ad suos remisit, & in ejus locum duxit conjugem Annam, Francisco Britanniæ Duce natam, Maximiliano solenniter desponsatam, & legatis eam Sponso adducentibus erectam. Ludovicus XII. vero uxorem Caroli VIII. sororem, Joannam Francicam, dimittere, ac defuncti viduam, Annam Britanicam modo nominatam, sibi jungere non abhorruit, quod vix usquam auditum est apud Christianos. Quæ, quamvis a nonnullis dispensatione Papali excusentur, quam Bebelius nec vituperat, nec negat, judicat tamen idem rectius esse, sine dispensatione non peccare. Quid si vir iste patriæ suæ amantisimus sequentia tempora, & nostra vivendo attigisset, quot ac quanta probria nominis Christianissimi congesturum fuisse putabimus. Non reticuisset lanienam illam Hugonotorum injustissimam truculentissimamque, Caroli IX. imperio Parisiis, & per universum regnum Galliæ anno M. D. LXXII. perpetratam, cuius adeo puduit Christophorus Thuanum, Curiæ Parisiensis Præsidem, ut referente filio Jacobo Augusto Thuano lib. 52. historiarum, Statii illud diceret e Lib. V. Silvarum Carmine secundo, versu 88.

*Excidat illa dies ævo, ne postera credant  
Sæcula: nos certe taceamus, & obruta multa  
Nocte tegi propriæ patiamur crima gentis.*

Non siluisset a Rege moderno abolitis edictis antecessorum, & ab ipso confirmatis Hugonotos lentis, ac in antiqua historia vix notis tormentis, excruciatos ac deletos. Memorasset pacem ac inducias non semel fractas, alienas provincias vi fraudeque occupatas, bellum Germaniæ Pacis observantissimæ eo tempore factum, quo Cæsar cum Turcis in Hungaria pugnaret. Fecisset ex cineribus loqui Spiram, VVormatiam, aliasque urbes cultissimas, oppida, pagos, provincias, de crudelitate Gallica queri. Atque ex his, quibus certo jungeret lites contumaces cum Romano Pontifice, quam sententiam Bebelius concluderet de nomine Christianissimi Regis Galliæ, unusquisque facile arbitrabitur. Nos DEO gratias semper agimus, qui sub Principibus Saxonis Christianissimis vero ac since-

ro



Xer 31/93

ro cultu ipi servimus, justitia ac clementia eorundem abunde fruimur, bonis nostris gaudemus. Inter illos quamplurimos, Reverendissimus ac Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANUS, Dux Saxonie, Juliæ, Cliviæ & Montium, Angriæ & VVestphaliæ, Postulatus Administrator Episcopatus Martisburgensis, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miñiæ, & utriusque Lusatiae, Comes Principali Dignitate Hennebergicus, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dominus in Ravenstein, Dominus ac Cancellarius noster clementissimus, post fata sua humilime prædicandus est. Quem cum natum die XXVII. Octobris anno M. DC. XV. DD. Parente Johanne Georgio I. Electore, Avo Christiano I. Proavo Augusto, cæterisque qui antecedunt Majoribus Serenissimis, meminimus, Christianissimos Principes ac Fidei defensores cogitavimus: Quem cum educatum in consortio Fratrum Serenissimorum D. JOHANNIS GEORGII II. AUGUSTI ac MAURITII recolimus, ex eo omnes Principes Christianissimos prodiisse cognovimus. Si nuptiis anno M. DC. L. ei junctam Serenissimam Dominam, Ducem Hollatam Schlesvicensem aspicimus, CHRISTIANAM veneramur, imo Christianissimis virtutibus splendidissimam Conjugem ac matrem Serenissimorum liberorum, ad Patris matrisque instar virtutibus illustrissimorum. Si Episcopatum Martisburgensem ab anno M. DC. LIX. administratum, si reliquas terras perlustramus, tempa aut belli diuturni tempore devastata, aut vetustate male materiata & ruinosa stant reparata, verbo DEI ac laudibus divinis personant, catechizandorum rudium sunt auditoria solennia: Scholarum ædes restauratae Magistris ac discipulis florent: Cives ac subditi ubique de justitia & bonitate Principis sui loquuntur. Multum religionis studium excitabat in omnibus Pietas Domini, quem in publicis concionibus sacris frequentissime devotissimum videbant, quem domi assiduum Sacrarum literarum lectorem esse noverant. Nam dum Princeps juventutis adhuc esset ter, ac deinde ad finem vitæ usque singulis annis integras absolvit. Meditationes de morte Christiani Hominis tales ipse sibi consignavit, quales Theologum exercitissimum fecisse crederemus, si nomen Principis abesset. Symbolicam vocem in ore & corde semper habebat: CUM DEO & DIE. Illo enim juvante omnia suscipiebat, & suo tempore perficiebat. Videmur nobis sententiam magni Principis posse repræsentare in Horti emblemate, qui herbas, flores, arbores, fructus omni anni parte varios ac svavissimos profert cum DEO & DIE. In eadem imagine licet Academiam nostram delineare, atque omnes Doctores, Licentiatos, ac Magistros in medio sifere, quotquot ejusdem Cancellarii ac Nutritii, singulari gratia nobis addictissimi, auctoritate ac auspiciis plurimi, veluti arbores fructibus suis Ecclesiæ DEI ac Societati hominum profuturæ, cum DEO & die prodierunt. Hic Princeps Optimus tandem etiam Christianissima morte decepsit, die XVIII. Octobris, Anni M. DC. XCI. ac licet septuaginta annos sex fere vivendo supergressus sit, ita tamen charus omnibus fuit, ut perpetuam ejus bonitatem & clementiam subditi sibi exoptaverint. Excurseremus nos in laudes istas ubrius, nisi hoc officium, de communi consensu Patrum Academiæ, Viro Maxime Reverendo, DN. VALENTINO ALBERTI, SS. Theologiæ Doctori, Professori Publico, Consistorii Electoralis ac Ducalis Assessori, meritissimo demandatum, relinquendum esset. Is ergo Oratione solenni Serenissimi Principis virtutes, pro eo, quo abundant, eloquio, justissimis ac verissimis laudibus tollet. Vestrum erit, Proceres Academicæ, die Sabbathi proximo, mox post horam VIII. matutinam in facello Ædis Nicolaitanæ congregari, ac in Templum Academicum Paulinum ire; Vestrum erit, Cives reliqui, una adesse dicenti, ut ex ipsa celebritate tam honor in manes sanctissimos Principis redundet, quam reverentia & subiectio nostra humillima, in Successorem dignissimum, Dominum nostrum clementissimum, constet. P.P. Dominica Exaudi, sive die VIII. Maji Anno Salvatoris M. DC. XCII.

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

Ron Xa 3142 / FK





Xa  
3142

REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
CHERIOTI ANO,  
niæ,  
Juliaæ, Cliviaæ & N  
to Administrat  
gravio Thuri  
Utriusq; C  
bergicco  
Dom  
HON  
AS  
ORAT

